

sium pro Cassa Inclyti Regni reservatorum et admissorum, ex parte Status Militaris ulteriorem, ad suam competentiam formandi Regressum sub Sigillo et Chyroglypho suas extradedit Reversales. Quae omnia quaterna Instrumenta ad perpetuam rei notitiam praesenti Prothocollo Domini Status et Ordines inserenda statuunt, confidentes in praetioso Illustrissimi Domini Comitis Locumtenentis erga se affectu, propensione, Ipsaque aequanimitate, quod sicut aliorum confinium Emolumenta vi Benigni Diplomatis Regij pro Cassa Regni clementer applacitata sunt; Ita Petrinensia quoque Ejusdem considerationis existentia et alioquin Solutioni Dominorum Militarium Officialium deservitura, pro Cassa Regni eodem modo percipi et tractari non impediet, Statusque Militaris reservato eatenus ad suam competentiam regressui ad conciliandam etiam bonam Harmoniam et con-intelligentiam peramplius institurus non sit.

### Articulus Trigesimus Secundus.

#### *De Officij Supremi Confiniorum Regni Banalium Militaris Commissarij Restauratione.*

Postquam Illustrissimus Dominus Stephanus Liber Baro Patlachich de Zajezda, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliarius, Colonellus et Supremus Confiniorum Regni Banalium Militaris Commissarius, propter occurrentem indispositam Valetudinem suam, aetatemque, tam gravia Itinera et fatigia peramplius sufferre nequeuntem, Officio suo Commissariatus in Publico valedixisset, Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens Banalis praelibatum Illustrissimum Dominum Baronem, tanquam Virum sago et toga conspicuum, et in Se ac Antenatis suis de Augusta Domo Austriaca et Regno optime meritum, pro eodem Commissariatus Officio ultro candidare dignabatur, mentionato autem Domino Barone ulteriorem quoque a candidature Individui sui exemptionem desiderante, sequentes pro eodem Commissariatus Officio Candidati fuere: ex Comitatus, Dominus Josephus Raffay, Comitatus Varasdinensis Ordinarius Vice-Comes, et Dominus Nicolaus Mathias Messich, Comitatum Zagradiensis et Cripsiensis Notarius; ex Tabularistis vero Dominus Joannes Jurssich, Tabulae Regni Judiciariae Assessor; cum ea tamen per Illustrissimum Dominum Comitem Locumtenentem proposita declaratione, quod quiscunque ex illis Commissariatus Officio admotus fuerit, aliud Publicum per se gestum Officium resignare obligabitur. Qua Conditione intellecta annotati Domini Candidati Idem Officium assumere deprecati sunt, cum inter duo Publica Officia, unum quidem Juridicum, et aliud oeconomicum, nullam incompatibilitatem observarent; quare usque dum circa Eandem Quaestionem a Sua Excellentia Banali gratiosa venerit resolutio, antelatus Dominus Josephus Raffay Titulo provisorio ad mentionatum Commissariatus Officium, Salarium Ejusdem a 1. Mensis Decembris habiturus, surrogatus est. Ut autem Emolumenta Confiniaria conscribi, et juxta punctum Instructionis Commissarialis ad Statum Notitiae devenire possint, Dominus Vice-Comes Georgius Petkovich cum Diurno a die motus usque diem reditus duorum, ex cassa publica solvendo, Domino Commissario adjungitur.